

CAPUT IV.

De Christo quatenus principium est agendi vel efficiendi

ARTICULUS I.

De Christo, ut agenti particulari.

THESIS XLIX.

Christus habet duas voluntates et duas operationes, nempe utriusque naturae divinae atque humanae.

186. **Nota I.**° Quicumque duas non crediderunt in Christo esse naturas, consequenter et duas voluntates atque operationes ejusdem negaverunt. Quoad Monothelitas autem (1), utrum solum actus, an vero et potentias utriusque naturae rejecerint, disputatur inter Auctores: utrumque tamen in Christo extitisse fides docet.

Nota II.° Voluntate reguntur ceterae facultates et operationes: hac de causa, ut omnes excluderent in Christo humanae naturae operationes, a voluntate desumebant Monothelitae argumentum, eamque praecipue labefactare conabantur: propterea Ecclesia non tantum duas operationes, sed distincte et explicite duas definivit esse in Christo voluntates.

Nota III.° Unitas operationis triplici modo intelligi potest: 1) quatenus operatio humana sit divinae subordinata, quasi ejusdem animatum et liberum instrumentum; ut ex. gr. in operibus miraculosis: 2) quatenus una sola operetur natura, actusque eliciat; vel 3) quia solum voluntas divina libere ageret et operaretur. Haeretici in secundo et tertio sensu fidem negarunt.

187. Prob. 1.° Agatho pp. cum Synodo Rom. in epistola Synod. ad Imperatores dixit: «Permansit utrumque quod naturaliter erat... servante utraque natura, etiam post adunationem, sine defectu proprietatem suam, et operante utraque forma... quod proprium erat... Consequenter, sicut duas naturas... ita quoque et

(1) Θελήσις, εως; voluntas. Θελήσις, οῦ; qui vult.

»duas naturales voluntates et duas naturales operationes habere, »utpote perfectum hominem, confitemur.»

Synodus Oecum. VI. hoc quoque definivit, «Fideliter »suscipiens, ait, et expansis manibus amplectens,» doctrinam ab Agathone et Synodo Rom. traditam.

2.° *Quaecumque Pater fecerit, haec et Filius similiter facit* (1): *Sicut Pater suscitavit mortuos et vivificavit: sic et Filius, quos vult, vivificavit* (2). Unde quaecumque Pater faciebat, etiam suscitare mortuos, faciebat et Christus: voluntatem ergo, operationemque habebat divinam. *Potestatem dedit* (Christo) *judicium facere quia Filius hominis est* (3). *Ego Patris mei praecepta servavi et maneo in ejus dilectione* (4). Judicare quatenus Filius hominis est, servare praecepta Patris, exigit voluntatem, operationemque naturae humanae: Ergo Christus habet...

188. 3.° Irenaeus (5) «Si nihil ex Maria sumpsisset. non ille »post jejunium expletum esurisset, corpore suum alimentum desiderante; neque fatigatus ex itinere sedisset; neque Lazari causa »lacrimasset... neque hoc dixisset, *tristis est anima mea.*» Ex his actibus et operationibus probabat Irenaeus Christi humanitatem: ergo sentiebat non solius divinae naturae fuisse in Christo »voluntatem et operationem.

Simili modo arguebat Hippolytus Portuensis (sec. III), vel Auctor ejus temporis: «Hominem facile est intelligere, cum »esurit, lassatur, sitit, et metuens fugit, et orans tristatur...» (6). Et in *Serm. de Theologia et Incarnatione*: «Deus factus homo sine »peccato, quod erat, est cum quantis cognoscitur Deus; et quod factum est, est cum quantis esse cognoscitur homo. Secundum »utrumque suum semper permanens, quibus divine pariter et humane operatus est, perfectionem per omnem utriusque rationem sibi »naturaliter incommutabilem salvans... Operatus est utraque ad »approbationem perfectae ac verae, nihilque habentis pravitate inhumanationis suae.»

Maximus, de *S. Trinit.* Dialogo V. n. 26 (7). «Ipse Christus »tus est Deus et homo... Deus leges ponit; et quatenus homo est, »fit legi obnoxius.» Sed ponere leges ut Deus, est habere voluntatem et operationem divinam; et subjici legi ut homo, est habere »voluntatem et operationem humanam. Ergo.

Exemplo rem explicat: «Si quis cogitatione concesserit solem per »lucernam et in lucerna suam lucem emittere; illa non cessat esse »lucerna sed in sua permanet efficacia atque motu: ita Deus Ver-

(1) Joan. V, 19.—(2) Ibid. 21.—(3) Ibid. 27.—(4) Jo. XV, 10.—(5) L. 3, c. 32.—(6) In Ps. 2.—(7) Inter opera Athanasii.

»bum vim suam in rationali et per rationale animal exercens, facit, »pro sua bona voluntate, supra quam ferat propria animalium natura, neque tamen prohibet quominus sit animal ratione praeditum.» (n. 29.) «Quomodo non vis Verbum ab humana natura »animalibus, rationalibus et patibilibus motibus secerni?» (n. 29).

Athanasius (1) ait: «Quae humano more de Salvatore dicta »habentur, cujusmodi sunt, esurire, laborare, quod oraverit et passus sit... haec ad carnem attinent, quam nostri causa gestavit...» «Quae enim carni propria sunt, ipse concedit ut de se dicantur, quo »hinc palam fiat, non alterius, sed suum proprie corpus fuisse.

Ambrosius (2): «Numquid una operatio potest esse, ubi diversa substantia est?»

189. 4.º In Christo sunt duae naturae integrae et perfectae. (Supra, Thes. XXI): Ergo et duo genera facultatum, intellectus, voluntas, etc. Atqui facultates sunt propter operationes; ergo Christus habet duas voluntates et operationes.

190. Obj. 1.º Juxta philosophorum effatum, actiones sunt suppositorum: sed unum est suppositum in Christo; ergo et una operatio.

Resp. Dist. *maj.* Sunt suppositorum, quatenus specificentur a supposito, seu *formaliter*: nego: quatenus quidquid agit est suppositum, seu, *materialiter*; concedo. Aliis verbis: actio est suppositi, ut *quo*, nego: ut *quod*; concedo.

Etenim prius est naturam esse in se completam, quam operari, ideoque debet esse suppositum.

Obj. 2.º Dionysius Areopag. (3): «Qui non secundum »Deum divina gessit, neque humana secundum hominem: verum, »Deo viro facto, unam quamdam deivirilem actionem expressit.»

Resp. 1.º Dixerunt aliqui PP. depravasse Monothelitas Areopagitae scripta.

Resp. 2.º *Unam* deivirilem actionem, quasi una fuerit in Christo virtus operativa; nego: quatenus *unum* erat suppositum cui subordinabantur actiones omnes, ut dictum est ad obj. 1.º concedo.

Obj. 3.º S. Cyrillus (4), ait: suscitans Christus principis filiam, «Unam et cognatam per ambas naturas ostendit operationem.»

Resp. Dist. seu explico Cyrilli dictum: Unam operationem, quia natura divina operabatur principaliter, humana autem instrumentaliter, ideoque unitate ordinis; concedo: unitate entitativa et specifica; nego.

(1) *De Sentent. Dionysii*, n. 26.—(2) *L. de Fide*, c. 4.—(3) *Epist. ad Cajum*.—(4) *In Jo. l. 4.*

THESIS L.

Non secundum potentiam tantum, sed etiam secundum actum fuit voluntas tum sensibilis tum rationalis in Christo.

191. Thesis est de fide, et in praecedenti implicite probata: sed jam explicite eam confirmabimus.

1.º Conc. Oecum. VI. «Definientes duas naturales voluntates non contrarias, absit... sed sequentem ejus humanam voluntatem et non resistentem, sed potius quidem subjectam... Oportebat enim carnis voluntatem *moveri*, subjici vero divinae voluntati... Nam illius *velle* non est contrarium Deo.» Et inferius: «Cum »alterius communione utraque forma agit quod proprium est.»

Atqui forma humana, seu caro, duplicem habet voluntatem, rationalem et sensilem: Ergo utraque, cum divina, erat in Christo secundum actum.

Confirm. «Tam miracula quam passiones... non per phantasiam »sed veraciter demonstravit, ob naturalem differentiam in eadem »una subsistentia cognoscendam, dum cum alterius communione »utraque natura indivise et inconfuse propria vellet atque operaretur.» Atqui monstravit actus appetitus sensitivi, sitim, famem, tristitiam, timorem... Ergo ejusmodi actus vere habuit.

192. Prob. 2.º Dicitur Christus (1), *Factus obediens usque ad mortem; Preces offerens*. Sed hi actus spectant ad voluntatem rationalem: ergo.

Item: *Coepit parere, taedere et moestus esse. Factus in agonia. Factus sudor ejus sicut guttae sanguinis. Preces cum clamore valido et lacrimis offerens*. Sed hujusmodi passiones sunt actus appetitus sensitivi: ergo hisce non carebat actibus.

3.º Ideo duae voluntates et operationes in Christo erant, quia utraque natura perfecta erat, et quia utraque forma operabatur quod proprium erat. Sed neutrum extitisset carente Christo appetitu rationali vel sensitivo, aut actibus eorum: ergo. *Maj.* constat ex Thes. praecedenti. *Minor* est evidens. Vide Hippolyt. Maxim. et Athanas. in Thesi praeced.

193. Obj. 1.º Si duarum voluntatum habuit Christus actus, non fuit unus volens, sed duo volentes. Ergo non fuit unus Christus.

Resp. Dist. *antec.* Non fuit unus volens *in recto*; nego *antec.* *In obliquo*; conc. *antec.* Deinde nego *consequentiam* (Vide *Nota III*, in Thes. XXX).

(1) *Philip. II*, 8; *Hebr. V*, 7.

Obj. 2.^o Si duarum voluntatum fuerunt in Christo actus, vera fuit quoque voluntatum discordia. Sed id concedi nullatenus potest: ergo.

Resp. Dist. *maj.* Discordia formalis, id est, circa idem objectum et eandem rationem; nego *major.* Discordia materialis; subd. quae consisteret inter actus inefficaces et conditionatos; permitto: inter actus absolutos; nego.

Etenim divina Christi et Patris voluntas mortem et passionem volebat, quatenus in gloriam Dei et hominum salutem cedebat; sub hac autem ratione non aversabatur mortem humana Christi voluntas, sed cupiebat potius. Mortem autem Filii Dei secundum se, ut quoddam malum, immensum malum, deprecabatur *conditionate* humana Christi voluntas. Non ergo fuit discordia, sed concordia, potius inter divinam et humanam Christi voluntates: *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum* (1).

Obj. 3.^o Saltem inferior carnis voluntas mortem et tormenta absolute repudiabat, ita ut mortalem agoniam et sanguineum sudorem induceret: fuit ergo absoluta voluntatum contrarietas.

Resp. Negando *consequentiam*. Nam inferioris appetitus Christi motus erant perfecte sub motu et influxu superioris constituti; ideoque illius intentio seu motus non adversabatur superiori appetitui, sed potius hunc sequebatur. Imo forsitan, sub aliqua ratione boni sensibilis in passione apprehensa, eandem quoque appetitus inferior prosequutus est.

Haec autem quo magis elucescant sequentem statuimus Thesim.

THESIS LI.

Christus Dominus non habuit fomitem, neque in actu secundo, neque in actu primo.

194. Nota I.^o Pars prima est de doctrina catholica certa, imo probabilius de fide.

Nota II.^o Fomes, in actu secundo, sunt actus appetitus sensitivi ad objectum sensibile rationi contrarium tendentes, et rationem praevenientes.

Fomes, in actu primo, est naturalis inclinatio appetitus, privata illa rectitudine et subiectione ad rationem, quae fuerat statui Innocentiae concessa: ideoque est fomes, appetitus expeditus et proxime dispositus, ut praevenire possit rationem et contra illam moveri.

195. Prob. 1.^o *Synod. Oecum. V*, can. 12. «Si quis defendit Theodorum impiissimum, qui dixit alium esse Deum Verbum et alium

(1) Sap. I, 13.

Christum, et passionibus animae et concupiscentiis carnis molestatum, Anath. sit.»

2.^o Augustinus (1), inter horribilia monstra haeresis pelagianae, recenset quod dixerint: «*Nolente Christo, tamen libidine fuisse commotum.*»

Et Lateran. Conc. sub Martino I. «Si quis secundum scelerosos haereticos... in duabus voluntatibus et duabus operationibus, hoc est, divina et humana, dissensiones et divisiones insipienter mysterio dispensationis ejus innectit... Condemnatus est.» Leo pp. in ep. 11. «Sensus corporis vigeabant sine lege peccati.» Et Damascenus (2). «Sentiebat et omnibus utebatur absque passione.»

196. 2.^a Pars. Neque fuisse in Christo fomitem in actu primo, est communis Theologorum consensus, ideoque certum. In actu secundo esse non poterat: sed inutilis est habitus, qui nequit exire in actum: ergo sicut non decebat Christum actus secundus, neque decebat ut esset fomes in actu primo.

Deinde; impedire actum secundum fomitis connaturale Christo erat: sed non fuisset ei connaturale vigente fomite in actu primo. Etenim nequit naturaliter impedire actum ille qui ejusdem dominium non habet.

Denique tota propositio confirmatur sequenti Thesi.

THESIS LII.

Appetitus Christi sensibilis semper, de consensu voluntatis rationalis, motus est.

197. Propositio est communis SS. Patrum et Theologorum, et certa.

1.^o Deducitur ex doctrina *Synod. oecum. VI*. Rationes enim, quibus discordiam excludit voluntatum, afficiunt quoque carnis appetitum. «Oportebat enim carnis voluntatem moveri, subijci vero voluntati divinae, juxta sapientissimum Athanasium. »Sicut enim ejus caro, caro Verbi Dei dicitur et est, ita et naturalis carnis ejus voluntas propria Dei Verbi dicitur et est... Nam et caro propria ejus facta est.»

2.^o Leo pp. (3). «Non erant (in Christo) discordiae desideriorum... sensus vigeabant sub moderamine deitatis et mentis.»

Augustinus (4) ait: «Ergo tristis fuit? Prorsus tristis, sed voluntate suscipiens tristitiam.» Et iterum (5): «Turbaris tu no-

(1) *Opus Imperf. contra Julian.* l. 4, n. 49. — (2) *De duabus Christi voluntat.* n. 36. — (3) *Ep. 11.* — (4) *In Ps. 93,* n. 19. — (5) *In c. XI, Jo. tract. 49,* n. 18.

»lens; turbatus est Christus quia voluit.» Gregorius P. (1) confirmat.

Damascenus (2) dicit, in Christo «omnes affectus fuisse voluntarios.»

198. 3.^o Motus appetitus inferioris a superiori independens ex peccato procedit, nec in paradiso locum habuit. Atqui Christus, teste Apostolo (3), *sanctus erat, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, excelsior coelis factus*: ergo rebellionis appetitus subjici non debuit. Subsumo: atqui neque expediebat ut voluntarie tamen susciperet rebellionem. Nam justis cum verecundia eam patiuntur, et per orationem, temperantiam aliasque virtutes ad ejus extirpationem incumbunt. Ergo.

199. Obj. Appetitus sensitivus tendit naturaliter ad suum objectum: ergo contra ipsius naturalem perfectionem indiget voluntatis influxu. Cum enim indifferentia careat, seu libertate, si non feratur ad suum objectum, naturali sua carere vi erit argumentum.

Resp. Dist. *Antec.* Tendit in actu primo; concedo: in actu secundo; subdist. Si nullo modo sit sub appetitu rationali (ut in brutis); concedo: si subjiciatur, plus vel minus, rationali appetitui, quemadmodum de homine docet Scriptura (4); iterum subdistinguo: tendit cum moderatione; conc. Sine moderatione; nego.

Deinde, distingo *consequens*: si indigeat influxu propter defectum virium inferiorum; conc. Si indigeat influxu, quia plene moderetur a voluntate superiori; nego. Non enim est contra perfectionem partium quod ordinentur ad bonum totius vel nobiliorum partium.

THESIS LV.

In Christo Domino fuit intellectus, tum secundum potentiam, tum secundum actum.

200. Propositio est de fide.

Prob. 1.^o Synodus Oecum. V, can. 9, contra Origenem: «Si quis dixerit quod non Verbum Dei incarnatum carne animata anima rationali et intelligente descendit ad inferos, et rursus in coelum idem ascendit... Anath. sit.»

Leo pp. epist. dogm. ad Flavian. Patriarch. Constant. «Sicut Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit utraque forma, cum alterius communione, quod proprium est.»

(1) Hom. 16, in Evang. Domin. 1.^a Quadrag.—(2) L. 3, 20 et 32.—(3) Hebr. VII, 26.—(4) Gen. IV, 7.

2.^o Dixit Dominus (1): *Pater, gratias ago tibi quoniam audisti me. Ego autem sciebam quia semper me audis.* Jam vero haec dixit Christus ut homo: orare autem, gratias agere, scire, etc. nequeunt fieri sine intellectu et actu intelligendi. Ergo.

201. 3.^o Ambrosius (2) duplicem esse docet in Christo scientiam, divinam et humanam; et verba illa Lucae (3). *Proficiebat sapientia, et aetate, et gratia apud Deum et homines*, de natura humana intelligit. Et sane, cum aetas et gratia ad humanitatem aperte spectent, idem prorsus dicendum de sapientia.

4.^o Denique confirmatur tum testimonio Agathonis pp. tum aliis Theseos XLIX et L rationibus.

Obj. Intellectus et sapientia Verbi infinitae sunt perfectionis: ergo inutilis est in Christo alius intellectus vel alia scientia. Resp. Dist. *consequens*: inutilis est ad perfectionem intrinsecam Verbi; concedo: ad perfectionem intrinsecam humanae naturae; nego *consequentiam*.

THESIS LIV.

Christus habuit scientiam beatorum, seu visionem beatificam, ante mortem; imo ab ipsa conceptione.

202. Est communis theologorum sententia.

1.^a pars prob. 1.^o Ait Christus (4): *Omnis qui audivit a Patre et didicit venit ad me: non quia Patrem viderit quisquam, nisi is qui est a Deo.* Caeteros excipit et sibi opponit in modo agnoscendi Patrem, quod nempe illum non viderint. Similiter alibi (5): *Ubi sum ego, illic et minister meus erit.* Atqui praecipuum ministris Christi praeparatum bonum est Dei visio; ergo Christus visione Dei fruebatur.

2.^o Christus habuit plenitudinem *gratiae et veritatis*, prout decebat Unigenitum Patris (6). Sed nisi vidisset Deum ea caruisset plenitudine: ergo.

203. Prob. II.^a pars 1.^o Ratione et auctoritate Sancti Damasceni; (7) «Propterea eos qui dicunt Christum verum incrementum in sapientia accepisse, consequenter negare unionem factam esse a primo illius carnis ortu; nam si tunc facta est, quid tandem afferri potest, quin omnibus prorsus sapientiae gratiaeque opibus affluerit?»

2.^o Augustinus (8) docet: aequalitatem Trinitatis in luce

(1) Jo. XI, 41, 42.—(2) L. de Incarn. c. 7.—(3) II, 52.—(4) Jo. VI, 45, 46.—(5) Ibid. XII, XVII, 24.—(6) Ibid. I, 14.—(7) L. 3, c. 22.—(8) De consens. Evang. I, 4, c. 11.

liquidissima Verbi videri posse, non tamen perspicue nisi cum ipse Dominus venerit; verum, hac proprietate, «Maxime distat a ceteris» homo cujus susceptione Verbum caro factum est.» Pariter ait (1); post hanc vitam videbimus facie ad faciem; attamen, «Hominem» quem Dei Sapientia gestabat, nihil latebat aut ab itinere retardabat; hoc interest inter illum et ceteros homines.»

3.º Plenitudo gratiae, ideoque visio beatifica, Christo debebatur propter unionem hypostaticam, seu, quatenus Unigenitus erat Patris. Sed talis fuit ab ipsa conceptione: ergo tunc et deinceps beatus fuit.

Confirm. Visio beatifica pendet a solo intellectu et lumine gloriae confortante: sed ille fuit in Christo a primo existentiae momento, istud autem simul cum Unione ad Verbum, tamquam proprietates connaturalis: ergo ab ipsa conceptione fuit in Christo scientia beatorum.

204. Obj. Cum visione beatifica stare nequit tristitia et dolor: sed haec fuerunt in Christo per totum Vitae cursum: ergo visio intuitiva non aderat.

Resp. Dist. *major*. Stare nequit tristitia naturaliter, conc. Supernaturaliter; nego. Etenim affectiones doloris et gaudii, sunt sane contrariae, non autem contradictoriae; ideoque non repugnat quod naturalis effectus summi gaudii, tristitiam excludentis, virtute divina impediatur; maxime cum omnes affectus in Christo forent dominio voluntatis ipsius commissi, uti dictum est. (n. 197).

THESIS LV.

Christo fuit ab ipsa conceptione scientia plenissima, tum naturalis tum supernaturalis, infusa.

205. **Nota:** duplex est scientia infusa; scilicet, vel infusa per se, vel infusa per accidens. Illa scientia cujus species nequeunt virtute naturali intellectus effici, ut species veritatum supernaturalium, dicitur infusa per se: alias, dicitur infusa per accidens. Dicimus ergo quod Christo infusa fuerit omnis scientia, tum per se, tum per accidens; seu naturalis et supernaturalis.

1.º *Ingrediens mundum dicit: hostiam et oblationem noluisti; corpus autem aptasti mihi: tunc dixi; ecce venio... ut faciam, Deus, voluntatem tuam... In qua voluntate sanctificati sumus* (2).

Manifestum est hanc oblationem fuisse a Christo, ut homine, factam, ideoque non sine scientia infusa earum rerum ad talem

(1) L. 83, *Quaest.* q. 65.—(2) Hebr. X, 5, 7.

oblationem spectantium; scilicet, suae humanitatis, Dei, divinae voluntatis, hostiarum antiquarum et insufficientiae earum, hominum omnium et peccatorum ipsorum, ac sanctificationis justorum, etc. Atqui ejusmodi res ad utrumque spectant ordinem naturalem et supernaturalem. Ergo utriusque ordinis habebat scientiam.

Quod autem Christi ingredientis mundum scientia erat plenissima, id est, attingens *totum* naturalem ac supernaturalem ordinem, non est ambigendum: etenim ut Christus perfectam et undequaque voluntariam ac meritoriam oblationem faceret, tum latitudinem ejusdem, tum necessitatem et fructum plenissime **cognovit**: jam vero latitudo fructus et necessitas redemptionis Christi ad universum se porrigebat naturae et gratiae ordinem, sicut ex verbis Apostoli colligit Athanasius (1): «Primogenitum (vocatur) Verbum) omnis creaturae, propter Patris in homines benignitatem, per quam non solum omnia in ipsius Verbo constituta sunt, »verum ipsa etiam creatura, ut ait de illa Apostolus, *revelationem filiorum Dei exspectans, liberabitur a servitute corruptionis in libertatem gloriae filiorum Dei*. Cujus hoc pacto liberatae, nec non »omnium qui filii facti fuerint, Dominus primogenitus futurus »est... Ut modis omnibus primogenitus fieret, tum cum eas creat, »tum cum ipse in orbem terrarum, omnium causa, introducit.»

206. 2.º Isaias (2): *Et requiescet super eum Spiritus Sapientiae et intellectus...* Et Apostolus (3): *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae.*

3.º Confirmatur auctoritate et ratione S. Damasceni, ut habetur in Thesi praecedenti. Necnon Augustini: «Hominem quem Dei sapientia gestabat, nihil latebat.»

207. 4.º Debebatur Christo, et quidem ab existentiae initio, scientia beatorum; ergo a fortiori quaelibet alia intellectualis perfectio.

Confirm. Christus Dominus erat simul comprehensor et viator. Sed viatoris proprium est cognoscere Deum in creaturis, sive naturalibus, sive supernaturalibus: ergo omnium creaturarum Christus habuit species, et quidem ab initio; decebat enim quod perfectissimus esset viator, qui erat ipsa *via, veritas et vita* (4). *Maj.* patet: voluit enim Christus nostram salutem mereri, suamque resurrectionem, et exemplum in via hac currendi praebere, ut testatur Apostolus (5).

208. Obj. 1.º Omnia Christus videbat in Verbo per beatificam scientiam: ergo inutilis erat alia quaevis scientia.

(1) Or. 2, *contr. Arian.* 63, 64.—(2) XI, 2.—(3) Colos. II, 3.—(4) Jo. XIV, 6.—(5) Hebr. XII, 1, 2.

Resp. Nego consequentiam: tum quia Christus erat simul viator et comprehensor, tum quod lumen gloriae non impedit, imo vero supponit, lumen naturale vel supernaturale intellectus; ideoque neque actus illius luminis, inutiles facit alios vel naturales vel supernaturales actus.

Obj. 2.º Non videtur potuisse Christus dignoscere actus liberos futuros, seu futura contingentia: si enim illos cognovit per revelationem, dicendum erit habuisse fidem, quae comprehensori repugnat: si vero illos cognovit evidenter, nec intuitive, neque abstractively potuit illos cognoscere; nam neque actu sunt, neque cum aliquo medio connectuntur. Ergo solum per scientiam beatam futura contingentia novit.

Resp. Cognovisse quidem Christum omnia futura contingentia, non quidem per fidem, sed evidenter; neque intuitive, sed per conceptus a Deo infusos, quibus existentia illorum contingentium significabatur, cum experimentalis evidentia quod tales conceptus a Deo immittebantur.

Obj. 3.º Scientia per accidens infusa est connaturalis intellectui quoad substantiam et solum supernaturalis quoad modum, seu, ratione causae. Atqui inutiliter infunditur Christo scientia quam connaturaliter intellectus sibi acquirere potest; ergo non fuit in Christo scientia infusa per accidens.

Resp. Dist. *Maj.* Est supernaturalis quoad modum, si infunditur ei qui est in statu viae tantum; conc. *maj.* Est supernaturalis quoad modum in Christo; nego *maj.* Cum enim Christus esset simul in statu viae, beatitudinis et unionis hypostaticae, debebatur ei connaturaliter scientia illa infusa, sicut debetur Angelis et animabus separatis.

Deinde dist. *min.* Si poterat sibi illam scientiam ab initio existentiae connaturaliter et plene acquirere; conc. *min.* Aliter; nego *min.*

Instabis: Christus perfectum habuit intellectum et agentem et possibilem: sed frustra habuit, si infusae ei fuerunt species naturalis ordinis. Ergo eas infusas non accepit.

Resp. 1.º nego *min.* Sicut neque frustra habuit Christus virtutem generativam, quia numquam genuit; vel facultatem ridendi, si numquam risit, ut putat S. Bernardus. Cum enim facultas aliqua spectat ad naturam, ipsa naturae perfectio est sufficiens ratio illam habendi, licet usus ipsius praetermittatur ob rationabilem causam. «Melius est, ait Suarezius (1), numquam carere aliqua perfectione, etiamsi a Deo solo recipienda sit, quam carere illa aliquo

(1) *De Incarn.* Disp. 30, 5, 2.

»tempore, ut per proprios actus obtineatur, quia hoc fere nihil perfectionis addit, ut in simili dixit D. Thomas (1).»

Resp. 2.º Dist. *min.* Si infusae Christo fuerunt species omnes tum experimentales tum scientificae, transeat *min.* Si non fuerunt infusae species experimentales; nego *min.*

Cum enim species experimentales referant objecta, uti jam cognita et sensibus percepta, non debuerunt effici in mente donec objecta ipsa occurrerent: tunc igitur usus est Christus intellectu agente, ideoque exercitio hujus non omnino caruit.

THESIS LVI.

Voluntas humana Christi donata fuit libero arbitrio.

209. Propositio, ait Doctor Eximius, est de fide. Ad rei autem intelligentiam.

Nota I.º Libertas, in sensu proprio, significat facultatem agendi sine necessitate; in sensu lato, vim agendi absque coactione. Quidam antiqui theologi putarunt, fuisse in Christo tantummodo libertatem a coactione; quam sententiam recensuit D. Thomas uti opinionem probabilem (2), quin tamen unquam doceret: nunc vero, inter errores Jansenistarum, est damnata et omnino falsa.

210. Nota II.º Haec carentia necessitatis in voluntate libera non est mera negatio, sicut in ente contingente carentia necessitatis ad existendum; nec est activitatis defectus, sicut testudo non habet necessitatem currendi: sed sita est in quadam indifferentia ad agendum hoc vel illud, orta ex perfectione potentiae ad opposita se habentis, et se ipsam ad unum vel ad aliud determinantis. Hanc libertatis notionem, solita sua claritate, nobis tradidit D. Thomas: «Ipsa potentia voluntatis, quantum in se, est indifferens ad plura: »sed quod determinate exeat in hunc actum, non est ab alio determinante, sed ab ipsa voluntate» (3). Unde non ea est indifferentia propria liberi arbitrii, quae indigeat ab alio determinari, sed potius negatio ejusdem: ita ipse Doctor Angel. «Non esset homo liberi arbitrii, nisi ad ipsum determinatio sui operis pertineret» (4).

Nota III.º Voluntas tamquam objectum proprium et specificum respicit bonum; bonum autem vel est absolute et simpliciter tale, vel relative et secundum quid: ad primum est determinata specificative ab intrinseco et ideo ab Auctore naturae; ad secundum autem

(1) Q. 19, a. 3.—(2) III Dist. 18, q. 1, a. 2, ad 5.—(3) II Dist. 39, q. 1, a. 1.

—(4) II Dist. 28, q. 1 a. 1.

non est determinata nisi cum illud voluntas sibi, tamquam particularem finem, proponit; quod facere nequit nisi per rationem bonitas respectiva et secundum quid ipsi elucescat. Hac de causa dicitur voluntas per iudicium determinari; scilicet, quoad sufficientiam et actum primum proximum, non autem quoad actum secundum et efficaciter: hoc enim ad ipsam spectat voluntatem rationalem. Cum ergo ostenderimus in Christo et voluntatem esse et rationem; utriusque nunc connaturalem proprietatem, nempe, libertatem in eo esse probamus.

211. Prob. 1.^o Concilium Trident. (1) definit, Christum meruisse. Atqui meritum dari nequit absque libertate a necessitate; ergo est in Christo libertas arbitrii.

Min. constat ex damnatione Proposit. 3.^{ae} Jansenii: «Ad merendum vel demerendum in statu naturae lapsae non requiritur libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione:» quae, ut haeretica, confixa est. Item, ex Prop. 39.^a Baji, a Pio V rejecta: «Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.» Et 67. «Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo quod necessario agit.»

Prob. 2.^o Concil. Later. sub Martino I. «Per utramque ejus naturam voluntarius naturaliter idem consistit nostrae salutis operator.»

Ex quibus arguimus: ita voluntarius naturaliter operatus est Christus nostram salutem qua Deus, sicut qua homo. Sed quatenus Deus operatus est voluntate libera a necessitate: ergo et qua homo.

3.^o Dixit Christus (2); *Nemo tollit eam a me; sed ego pono eam a me ipso... Hoc mandatum accepi a Patre meo.* nempe ponendi, animam meam.

Loquitur Christus ut homo, ut patet: sed mandatum accipere, supponit libertatem; et illud ex propria determinatione exequi, est libertate uti: ergo.

212. 4.^o Eodem Scripturae testimonio arguebant Patres. Gregorius, (3) «Christum sine ulla necessitate passum.» Quid clarius dici potest?

Augustinus (4), «Qui potuit non mori si nollet, procul dubio, quia voluit mortuus es.»

Chrysostomus (5), «Si igitur nullam necessitatem habuit ut crucifigeretur, crucifixus est propter nos.»

5.^o Indifferentia est de natura liberi arbitrii, ut probat D. Thomas (6): De natura autem hominis est liberum arbitrium; ibid (7).

(1) Sess. V, can. 3. — (2) Jo. X, 18. — (3) Moral. I, 24, c. 2. — (4) De Trinit. I, 4, c. 13. — (5) Hom, 28, in ep. ad Hebr. — (6) P. I, q. 19, a. 10. — (7) Q. 83, a. 1.

Atqui perfecta fuit natura humana Christi (supra, Thes. XVIII et XIX): ergo donatur Christus libero arbitrio.

213. Obj. 1.^o Liberum arbitrium se habet ad utrumque. Sed voluntas Christi fuit determinata ad bonum, seu, non potuit peccare. Ergo non fuit libera.

Resp. cum D. Thoma (1): dist *min.* Fuit determinata ad bonum confuse, id est, ut semper bene ageret; conc. fuit enim omnino impeccabilis.

Fuit determinata ad hoc vel illud bonum: nego.

Sane fuit Christus impeccabilis, seu confirmatus in gratia, ut supra dictum est, (Thes. XXXIII et XXXIV): facultas autem peccandi non requiritur ad libertatem, cum Deus sit summe liber et ab essentia impeccabilis; nec est perfectio, sed defectus, ut ait Augustinus (2): «Etiam mala voluntate vel sola, quisque miser efficitur; sed miserior potestate, qua desiderium malae voluntatis impletur (3).»

Obj. 2.^o Qui liberum habet arbitrium et subjicitur praecepto, potest peccare: vel ergo caruit Christus libero arbitrio, vel incapax fuit praecepti suscipiendi.

Resp. Dist. *Antec.* Qui liberum habet... potest peccare, si ei debeat rectus usus liberi arbitrii; nego: si non debeat; concedo.

Deinde, nego *consequens* et *consequentiam*, et ad majorem rei evidentiam sit,

THESIS LVII.

Christus vere et proprie fuit praecepti capax.

214. *Nota* I.^o Haec sine dubio, ait Doctor Eximius (4), est mens D. Thomae, tum q. 20, a. 1, tum q. 47, a. 2; estque communis Theologorum sententia.

Nota II.^o Praeceptum et mandatum idem plane significant, ut notat ibid. Suarezius: in eo autem differunt a consilio; quod hoc manifestat consilians suum iudicium de meliori, et propensionem voluntatis in idem, quin obliget, ut patet ex Apostolo (5); *Praeceptum Domini non habeo, consilium autem...* Adeoque consilium non est formaliter superioris, et jurisdictionis actus; è contra praeceptum; quia voluntatem obligandi includit; id est, quod non possit id quod praecipitur aliter jure et honeste fieri, ideoque omisio foret peccatoria.

(1) Q. 18, a. 4, ad 3. — (2) *De Trinit.* I, 13, c. 5. — (3) Vide quoque Augustinum; *Opus imperf. contra Julian.* I, 1, n. 100. — (4) *De Incarnat.* Disp. 43, sec. 1. — (5) I Cor. VII, 25.